

exusti : ibi rebelles et refractarii terra absorpti : ibi blasphemii ab angelo percussi : ibi mali sacrificiorum ministri igne involuti : ibi qui arcam irreverenter aspexere vel tetigere, morte subita plexi : numquid modo in mundo non gulosi ? Numquid non blasphemii ? Numquid non mali Ecclesiae ministri, et qui sacra et sacramenta irreverenter tractant et percipiunt ? Imo vero innumerari. Quis retinet Dei iram ? Utique Maria, myrrha conservans mundum perditum. Ipsa expandit super nos pallium suum, et ab ira Dei repentina protegit nos sicuti pavo mater pullos suos a masculo, qui eos perdere quaerit quia sibi dissimiles videt. Non adducor una causa, ut hoc dicam. Testantur id ss. patres : testatur mundi perditissimi conservatio, qui nisi interveniente summa interventrice conservari in tanta perversitate non posset : testantur visiones et varia exempla. D. Antoninus archiep. Florentin. III. p. coron. et Thom. Bozium, de sig. eccl. lib. IX. cap. X. referunt ex vita S. Dominici, cum oriens ab Ecclesia totus esset abalienatus, Fridericus II. in occidente ut pontificiam potestatem everteret, ferro et flamma omnia vastasset, Saladinus in Syria nostros profligasset, atque ita interitus Ecclesiae totalis immiret, tunc vidisse sub oratione Christum humano generi iratum tres lanceas in terras vibrasse, quasi eas extincturum ; Mariae vero Filium amplexantis et retinentis precibus sedatum esse : et ab illo tempore tranquillitatem maximam Ecclesiae subsecutam esse. Alio tempore visum similiter Christum hominibus iratum a pio quodam viro scribit idem Antonius, ib. c. VI. § III. cum comprehensum velut manu totum orbem concutere videretur, quasi in barathrum praecipitatus, illo adjuncto : *Cum indicatur, exeat condemnatus.* Quo spectaculo vir pius territus ad Virginem clamat : *S. Maria succurre miseris, moxque illa dilationes vindictae impetrat, quoad per concionatores mittendos homines revocarentur a sceleribus.* Discamus hinc charissimi, quantum debeamus Mariae, propterea quia myrrha maris est, mundi conservatrix.

V. Exponitur stella maris. Ita Hieronym. et Eucher. ubi sup. Et talis denique Maria est : non utique tantum mundi conservatrix ut supra dixi, sed cujuscumque afflicti et peccatoris refugium, spes, et solatium, sicut stella maris de nocte navigantibus et inter fluctus periclitantibus. Unde Bernard. hom. II. de B. Virg. ait : « Nomen Virginis Maria, quod interpretatum maris stella dicitur, ipsa est praecleara et eximia stella super hoc mare magnum et spatiosum sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. » Porro stella polaris est, quae nautas maxime dirigit, quia ea polo

vicinissima, et pene immobilis, poli altitudinem et per hoc iter nautarum in tenebris ostendit et dirigit. Similiter Maria polo, qui Christus est in caelo vicinissima, habet apud ipsum preces praereliquis sanctis maxime immobiles, quatenus ab ipso multa audet petere et potest impetrare, quae caeteri sancti non audent : sicut et merita longe excellentiora habet. Igitur qui in tenebris peccatorum, Cimmeriis licet, navigat, qui in periculo animae vel corporis est, stellam hanc respiciat, Mariam vocet. *O quisquis, subjungit sup. Bernardus, te intelligis in hujus saeculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis : respice stellam, voca Mariam.* Nemo potest dicere : Non novi stellam istam. Notissima est mundo, pueris et puellis, gentilibus et haereticis. Petunt namque isti etiam eleemosynam a nobis, per Deum et Mariam. Nemo potest dicere : Non miserebitur mei haec stella, quia ipsa amarum mare est, miserias experta, miseris compati docta. Nemo potest dicere : Non possum juvari ab hac stella : ipsa enim domina est, Christo in polo proxima. Nemo potest dicere : Non videor ab hac stella ; ipsa enim illuminata est, sciens et considerans calamitates nostras. Nemo potest dicere : Non servabor ab hac stella ; ipsa enim myrrha conservans est, etiam perditissimorum hominum, exitio proximorum. Nemo potest dicere : Non habeo accessum ad eam, ipsa enim in caelo conspicua est, parata ad opitulandum omnibus. Nemo denique potest dicere : Non indigeo hac, qui in tenebris peccatorum non navigo. Tametsi enim forte nunc non navigas, navigabis tamen aliquando, et in mediis tenebris appelles, quod omnium periculosissimum, mortis scilicet in articulo. Et cur putatis vult Ecclesia, ut Mariam omnes invoceamus pro felici obitu, dicendo : *Ora pro nobis, nunc et in hora mortis nostrae ?* Nimirum optime novit, quam periculosum sit appellare in articulo mortis, mediis viarum tenebris, et propterea monet, ut stellam illam semper intueamur, et ad portum consequendum propitiis nobis reddamus. Unde Bernardus superius dictis, subjungit : « Si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam : si jactaris superbiae undis, si detractionis, si aemulationis, respice stellam, voca Mariam : si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra, naviculam concusserit mentis, respice Mariam : si criminum immanitate turbatus, conscientiae foeditate confusus, iudicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiae, desperationis abysso, cogita Mariam : in periculis, in angustiis, in rebus

dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde : et ut impetres ejus suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans, non erras : ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis. » Hec Bernardus.

Itaque lapidem istum fundae considerationis impositum sedulo gyremus, et in hostem animae nostrae ejaculemur ; ipsa conteret caput ejus.

CONCIO IV.

OSTENDITUR DEIPARAE DEBERE SUMMAM GRATIARUM PLENITUDINEM ET DIGNITATEM.

I. Quia Filium Dei concepit. — II. Quia gestavit in utero. — III. Quia peperit. — IV. Quia lactavit. — V. Quia educavit.

THEMA.

De qua natus est Jesus. Matth. I.

Narrat Lucianus, in haeresibus, Phidiam staturarium inspecto leonis dumtaxat ungue quantus esset leo perpendisse, totumque ex indicio unguis effinxisse ; atque hinc adagium ortum : *Ex ungue leonem.* Sperabamus Sanctum Matthaeum in hodierna Christi genealogia, quando ad sanctissimam ejus matrem veniendum esset, leonem nobis exhibiturum, hoc est, matris dotes egregie descripturum ; sed pro vasto corpore, unguem tantum exhibuit, dum aliud de ea nihil edixit, quam quod de ea natus sit Jesus. Verum non difficile est nobis ex ungue leonem, et ex brevissimo hoc verbo Virginis Mariae dignitatem cognoscere. Tam enim praegnans est hoc verbum, ut inde, qualis sit heroissa Deipara, non difficile colligere possumus. Ex hoc una venula fons omnium gratiarum in Mariam derivatur.

I. Quia Filium Dei concepit, formatum e materno suo sanguine, opera Spiritus sancti. Nam ut argumentatur D. Thomas, III. p. q. VII. a. IX. et q. XXVII. a. V. Quo magis aliquid appropinquat suo principio seu fonti, eo magis participat de illo : jam vero humanitas Christi inter omnes creaturas propinquissima est Deo, qui est causa et fons omnis gratiae, unde ea maximam gratiarum plenitudinem debuit recipere. Post illam propinquissima fuit Deo Maria, quia ex illa carnem seu humanitatem illam assumpsit : ergo post humanitatem Christi, summa gratiarum plenitudo debetur ipsi super omnes alias creaturas. Major ostenditur inductione. Quo enim arbor

aliqua vicinior est ripae fluminis, eo magis viret ac floret ; quo quid propinquius est igni vel luminari, eo magis calet et lucet ; qui vicinior fonti, plus haurit. Ideo dicitur in Apoc. c. XII. *Mulier amicta sole*, ob propinquitatem videlicet toto radians et illuminata a sole, sicut aeris suprema regio lucidior est quam infima, quia soli vicinior. Itaque sicut meritissimo attribuimus Christi humanitati summam gratiae plenitudinem, summam scientiam, virtutes omnes in summo gradu, summam venerationem, summam gloriam, etc. praer omnibus creaturis : sic etiam post illum, attribuenda est Deiparae, summa sapientia et scientia, summae virtutes, merita, honor, gloria, etc. « Quemadmodum enim decentissimum fuit, inquit Dionysius Carthus. initio l. I. de laudib. Virg.) ut illam naturam, quam creator voluit suae personae unire, omni charismate gratiae ac gloriae, omni virtute perfecta ac dono Spiritus sancti summe et incomparabiliter decoraret, eodem instante quo eam assumpsit : ita omnino concedens fuit, ut virginem illam, quam sibi matrem elegit, post humanitatem assumptam, universis gratiae ac gloriae charismatibus inenarrabiliter excellentius munificentiusque ornaret, quantum decuit sine dubio matrem praeministris exornari, exaltari, atque deificari. Et sicut non decuit naturam humanam, nisi pulcherrimo atque incomparabiliter decoratam assumi a Verbo ; ita nullatenus decens fuit, personam humanam effici Dei Matrem, nisi speciosissime et gloriosissime ornatam. » Sic ille. Quod si ad Assuerum regem nulla puellarum intrare poterat, nisi prius regis ex impensis mundo muliebri pulcherrime adornaretur, et sex mensibus oleo myrtino ungeretur, et aliis sex quibusdam pigmentis et aromatibus uteretur, ut habetur, c. II. Esth. quanto magis decuit adornari Mariam talibus gratiarum ornamentis, antequam ad Deum adduceretur, ut ipsa fieret homo ? Rursum Deus Judithae praeter splendidissimum ejus ornatum : *Contulit insuper splendorem et ampliavit hanc in illam pulchritudinem* (ut dicitur Judith, c. X.) *ut incomparabili decore omnium oculis appareret, et Holoferni placeret, quem ejus manu occidere parabat ;* Virgini ad excipiendum utero Dei Filium, quid conferre, qualem mentis splendorem, qualem pulchritudinem largiri non voluit ?

II. Quia Dei Filium gestavit in utero novem mensibus. Si enim domus, qua terrenus rex excipitur, pretiosis adornatur aulicis et omni suppellectile splendidissima instruitur, necnon odoribus perfunditur, matrem, quae Deum non tantum hospitio exceperit, sed velut in proprio habitaculo novem mensibus tenuit, quibus gratiae or-

namentis, quibus virtutum odoribus perfusam fuisse credendum est? Unde S. Anselm. de excellent. Virg. c. III. « Si talis apparatus pro adventu terreni hominis (scilicet regis vel monarchæ); qualis apparatus omnis boni putamus, fiebat pro adventu cœlestis regis in corde Virginis, quæ illam non erat transitive hospitatura, sed etiam ex substantia sua factum hominem paritura? » Qualem thronum sibi fabricarit rex terrenus Salomon, videre est, I. III. Reg. c. X. *Fecit rex Salomon, ait sacer textus, thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus; duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, et duo leones stabant juxta manus singulas et duodecim leunculi stantes super sex gradus hac atque inde. Non est factum tale opus in universis regnis.* Num tale opus et talis thronus decuit Salomonem, et non magis Dei Filium? Rectissime itaque glossa eo loco per hunc thronum intelligit Mariam, in cujus gremio Christus sedit, tamquam in throno nobilissimo: de ebore, quod ratione albedinis et frigiditatis significat puritatem Mariæ, in aliis refrigerantis motus libidinis, grandem, imo grandissimam meritis: *Et vestivit eum auro fulvo nimis, ferventissimæ scilicet charitatis: Qui habebat sex gradus, qui continentur Luc. I, ubi Christum eum conscendere volebat. Primus oratio solitaria, cum dicit Lucas: Et ingressus ad eam angelus, Bern. super Missus est. Quo ingressus? In secreto cubiculo, ubi orabat Patrem in abscondito: secundus, est virginalis verecundia, ibi: Turbata est in sermone ejus: tertius, est discreta prudentia, ibi: Cogitabat qualis esset ista salutatio: quartus, inquirentis diligentia, ibi: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quintus, est humiliantis se decencia, ibi: Ecce ancilla Domini: sextus, fidelis obedientia, ibi: Fiat mihi secundum verbum tuum. Pergit Scriptura in throno Salomonis: Et duæ manus tenentes hinc inde sedile; per quas significabantur duæ operationes, activæ vitæ et contemplativæ, quæ excellentes fuerunt in Virgine: Et duo leones stantes juxta manus singulas, scilicet duplex fortitudo, in aggrediendis arduis et tolerandis adversis: Et duodecim leunculi, etc. id est, duodecim fructus Spiritus sancti qui habentur ad Gal. V. vel duodecim prærogativæ illius, de quibus in festo concept. diximus: Non est factum tale opus in universis regnis. Nam neque in terris est aliqua creatura pura ei similis. Quam vere hæc applicet Deiparæ glossa, vel ipsummet Davidem testem adducere possumus. Si enim ipse indignum censuit, ut arca Dei moraretur in medio pellium; ipse vero habitaret in domo cedrina: quid dixisset, si vidisset filium suum sedere in tali throno: Filium vero Dei se-*

dere in utero Virginis, debitis charismatum ornamentis destitutæ? *Videsne, inquit ad Nathan, quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium, II. Reg. VII. Et ipse quidem illico ædificasset arcæ domum splendidissimam, nisi Deus hoc veluisset, et differre ad Salomonem voluisset, præparavit tamen nihilominus ingentem summam auri et argenti, et omnis generis metalla pro illa, quam Salomon extruxit splendidissimam: Opus enim grande est, ait David, I. Par. XXIX. neque enim homini præparatur habitatio, sed Domino Deo. Ego autem totis viribus meis præparavi impensas domus Dei mei: aurum ad vasa aurea, argentum in argentea, etc. Quam insuper implevit etiam nebula Domini, cum in eam arca induceretur. Quæ omnia ostendunt quid debeatur Matri Dei. Atque hoc in oratione illa tangit Ecclesia: Omnipotens sempiternus Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus et animam ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti, etc.*

III. Quia Filium Dei peperit, eundem inquam illum, quem Deus Pater ab æterno genuit, ita ut sicuti ipse dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Itaque id ipsum Maria in die partus sui dicere potuerit. Unde affirmat S. Thom. I. p. q. XXV. art. VI. titulum Matris Dei infinitam quamdam dignitatem continere, quoad rationem videlicet maternitatis; quia melior ac dignior mater esse non potest, quam Dei Mater: sicuti nihil majus esse Deo potest. « In humano genere, inquit card. Petrus Damiani, in serm. II. de nativ. ille nobilis dicitur, qui claris majorem titulis insignitur; B. vero Maria licet de generosa sit parentum stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissimæ nobilitatis genus, qui de illo est novo nascendi genere procreatus, et per clarissimam sobolem omnem humani stemmatis excedit nobilitatem: clara proavorum titulis sed incomparabiliter clarior generositate proles: filia siquidem regum, sed Mater Regis regum. » Est enim virgo, id est, Deipara, non denominatione tantum extrinseca, quo modo aliqua est mater episcopi: sed quia in ejus utero unio hypostatica facta est: adeoque genuit Deum et hominem, genuit et gestavit in utero regem, quia jam tunc rex erat; unde magi: *Ubi est, qui natus est rex?* Quando ergo Filium Matrem exivit ad summam illam dignitatem, decuit ut eidem conferret quidquid eam consequitur. Non enim elargitur Deus vacuos titulos; sed quemadmodum S. Thom. III. p. q. XXVII. a. V. ait: Unicusque datur gratia a Deo secundum hoc, ad quod eligitur: ergo quia ad summam illam dignitatem elegit Mariam, sequitur etiam ea illi attribuisse, quæ talem matrem de-

cent, ut nimium gratis, et privilegiis omnem superaret creaturam. Itaque sicuti Christus Rex regum: sic et Maria post ipsum regina omnium sanctorum jure merito est; et sicut Christus ad Regis regum titulum omnem habuit necessarium apparatus, sic decebat habere quoque suo modo Matrem. Ut enim Assuerus, quando Estherem connubio sibi junxit et reginam fecit, statim posuit diadema regni sui in capite ejus et fecit eam regnare, Esth. II. sic decebat fieri Deiparæ. Jam vero quid conveniat reginæ, facile est indagare. Competit imprimis formæ elegantia et nitor absque macula vel deformitate, ita: *Decens erat, inquit Anselmus, lib. de concept. Virg. cap. XVIII. ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Filium suum ita dare disponebat, ut esset unus idemque Dei Patris et Virginis Filius, etc.* Competit reginæ vestium splendore, quantus esse potest maximus: sic etiam Mariæ virtutum omnium splendor incomparabilis, quia omnis gloria filia regis ab intus; externa dona nimis vilia erant: competit reginæ nobile famulitium et custodia satellitum; sic etiam Mariæ assistentia Dei singularis et angelus custos Gabriel, ad præservandam eam ab omni lapsu et infestatione dæmonum: competit reginæ nobile gynæceum; ita et Mariæ familiaritas ss. angelorum: competit reginæ reditus amplissimi; sic etiam Mariæ meritorum cumulus plus quam sit omnium sanctorum: competunt reginæ regia privilegia et exemptiones a communibus legibus; sic etiam Mariæ plurimæ prærogativæ eam condecens, ut immunis esset a vectigali originalis peccati, ut sine damno virginitatis mater esset, ut sine dolore pareret, sine dolore mortem oppeteret, sine corruptione ante communem resurrectionem revivisceret, etc. competit reginæ veneratio singularis, et post regem summa; sic etiam Mariæ cultus hyperdulæ, velut Matri Dei: competit reginæ prima post regem sessio; sic etiam Mariæ prima post Christum in cœlo sedes.

IV. Quia Dei Filium lacte suo virgineo pavit: nam et hinc debetur Virgini maxima dignitas. Si enim reges quærunt liberis suis nutrices selectissimas, nobiles ac virtuosas; quia videlicet cum lacte imbibitur ab infante inclinatio quædam ad virtutem vel ad vitium (annon Caius Caligula naturæ crudelitatem ex nutricis suæ alimento hausit? Annon Titus continuam ægritudinem: et Tibertius Cæsar bibacitatem inde traxere?) quam nobilem et virtuosam decuit esse Mariam, quæ ad hoc electa fuit, ut Filium Dei lactaret? Hinc enim levota illa mulier dixit Christo, Luca XI. *Beatus venter, qui te portavit, et beata ubera quæ suxisti.* Si enim Christus beatos dixit apostolorum ocu-

los, qui ipsum viderent, Luc. X. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis:* quanto beatiora Deiparæ ubera, quæ Deo lac propinarunt? Nec frustra Ecclesia canit: *Quem Virgo lactabat ubere de cœlo pleno.* Tantam enim esse hanc dignitatem vult, lactandi Filium Dei, ut lac illud non terrenum, sed cœleste, hoc est, cœlis ipsis præstantius esse debuerit. Sane in hoc etiam Deipara Seraphinos ipsos superat: nam licet illi Christo ministrarint post tentationem, adeoque cibum et potum, juxta communem sententiam præbuerint, id tamen longe minus ab eo, quod exhibuit Christo Mater. Quando senuerat David rex et vestibibus coopertus calefieri non potuerat, quæsierunt illi servi ejus adolescentulam virginem, speciosam in omnibus finibus Israel et pulchram nimis, quæ staret coram rege et foveret eum, III. Reg. I. Si ergo regi seniculo talis debebatur ministra, annon multo formosior et ornatior virtutibus debebatur nutrix Dei Filio infanti?

V. Quia Filium Dei educavit et instituit. Nam et hinc concludi potest, optimam et omni virtutum genere excultissimam debuisse esse Dei Matrem, quæ et apta esset instituere et dirigere absque ullo errore Filium sapientissimum, imo ipsam Dei sapientiam: et præterea digna, cujus imperio et directioni se Dei Filius subiceret. Verissimum est, quod Sapiens ait Ecclesiast. XXII. *Confusio patris est de filio indisciplinato.* Uti etiam contra, gloria parentum est filius sapiens: quia filius bene disciplinatus et virtuosus, bonos se habuisse parentes educatores ostendit: et malus vicissim malos. Hinc Diogenes videns aliquando adolescentem mero stupidum et prorsus insipientem: *Adolescentule, inquit, ebrio seminatus es patre,* apud Stob. contra vero videns Christi sapientiam et virtutes pia illa femina, Luc. XI. ex eo statim collegit et prædicavit bonitatem ipsius Matris: *Beatus venter qui te portavit, etc.* Ratio, quia qui fructum deprehendit optimum, arborem quoque laudat. Itaque plenam omni sapientia et virtute oportuit esse illam matrem, quæ Filium Dei instituit et subditum sibi habuit. Quemadmodum enim Deus Beselelem implevit spiritu Dei, sapientia et intelligentia et scientia, et omni doctrina ad cogitandum, seu ut Septuaginta vertunt, ad docendum nimirum alios artifices; ut ita per eum tabernaculum fabricaretur affaberime et juxta præscriptum exemplar e Deo, Exod. XXXV. ita quoniam Beatissima Virgo accuratissime instituere debebat Filium, omni virtute et sapientia prædita esse debuit. Tametsi enim Filius institutione non eguit, gessit tamen se uti puer per omnia obedire parentibus volens, atque ita necesse fuit, ut parentes ejus nihil inconve-

niens ei præciperent, sed omnia decentissima.

Verum summam hujus tituli dignitatem enervare videntur verba illa Christi, quibus mulieri supradictæ respondit: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei et custodiant illud. Hoc enim est dicere, inquit August. tr. XX. in Joan. Mater mea inde felix est, quia Dei verbum custodit, non quia in illa Verbum caro factum est.* Sed respondetur, dupliciter intelligi posse hunc titulum maternitatis Dei, vel per se solum absque illa, quam postulat, gratia, vel simul cum illa. Priori modo si spectetur, verum est, quod ait Aug. si posteriori, quomodo nos accipimus, certum est, summam esse beatitudinem, et felicitatis Matris Dei. Mulier vero illa videtur solum respexisse ad maternitatem præcise, non ad consequentem ejus gratiam. Sic dicimus hominibus nobilibus gloriantibus in sola natalitium nobilitate, nobilitatem generis nihil esse. Nam tamen eam spernimus, si eam sequantur nobilia et generosa facta; quin potius indicare volumus, nobilitatem esse præclarum Dei donum, qui eam consequi debet, ac ut plurimum solet virtutis ardor et amor, sine hac sequela nihil esse. Absolute igitur et simpliciter Deipara verissime beata, hoc ipso quod Mater Dei, quia hunc titulum summa gratia et admirabilis virtutum omnium chorus et summa gloria comitatur. Secundo, hac responsione voluit Dominus mulierem abducere a beatitudine Matri suæ peculiari, ad beatitudinem omnibus communem et quam ipsa mulier etiam consequi posset, q. d. vere quidem beata mea Mater: sed hæc illi beatitudinis ratio propria est: ostendam autem tibi, quomodo et tu beata esse, adeoque modo alio Mater mea fieri possis; si nimirum verbum Dei in corde tuo concipias et conserves, tandemque per operationem bonam parias. Tales enim in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia, ait Luc. VIII.

Sed ad hæc quid turpissimus ille sacri fontis fœdator et iconoclasta Constantinus Copronymus imp. Græcus? Aiebat is, Deiparam quidem fuisse honore dignam quoadusque Christum gestavit in utero: eum porro ubi enixa est, nihil feminis aliis dignitate præcelluisse: quemadmodum loculi aureo referti tandiu habentur in pretio, quamdiu illud continent, postmodum vero abjiciuntur. Cum enim aliquando marsupium aureis nummis plenum quibusdam ostendisset, ab eis quærens: *Quantinam hoc marsupium valet: Multum responderunt illi. Cum vero aurum eiecisset, iterumque idem interrogaret: Nihil, responderunt illi. Tum is, ita se res habet cum Dei parente, etc. Theophanes theol. in Niceta et Suidas. O blasphemum os! Sed nonne mulier illa*

supradicta prædicabat ventrem Mariæ beatum etiam post partum? Deinde, si Christus hospitii sui uberem mercedem undique reliquit, ut in domo Marthæ, Simonis, Zacchæi, etc. num erga solam Matrem ita ingratus esse voluit, ut debitam hospitii mercedem ei non refunderet pro gestione in utero; pro lactatione, pro educatione nihil rependeret? Denique, absurda est illa loculorum similitudo, nihil enim accipit aurum a loculis: Deus autem de Virgine carnem assumpsit, ejusque Filius mansit ac manebit in omnem æternitatem. Sed quid necesse, ut respondeamus iconoclastæ, cui sat superque respondit ipsa Virgo? Ad extremum enim in expeditione Bulgariæ, cum esset divinitus in cruribus plaga percussus, et febre validissima correptus, dum Constantinopolim versus deferretur, mortuus est, clamans ac dicens: *Vivens adhuc igni sum inextinguibili traditus propter Mariam Deiparam, jubebatque eam deinceps honorari ut Deiparam, Cedren. Theoph. Glycas.* Sed quid impiissimo illi dicemus Luthero, qui in serm. de natali Virg. habito, in istam vocem eripuit: *Omnes Christiani æque magni sumus sicut Mater Dei et æque sancti.* O blasphemiam inauditam! O linguam præcidendam et patibulo affligendam! Fornax infernalis, si nondum satis ardes super hunc blasphemum, succendaris centuplum. Quid enim tibi religionis et fidei desertori, commune cum Deipara? Et quomodo tecum ipse pugnas, ut natalem ejus celebres, quam te meliorem non cognoscis?

Nos itaque extollamus vocem cum muliere illa: *Beatus venter, etc. et cum Ecclesia: Felix namque es Sancta Virgo Maria et omni laude dignissima, quia ex te ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster.* Ex hoc enim fundamento veram esse apparet, quidquid scribunt ss. patres, quidquid præclari nos excogitare possumus. Tametsi enim ea secundum litteram in Scripturis non reperiantur, verissima tamen illa non dubitemus, quia ex ungue leonem, ex maternitate cæterarum laudum cumulum deprehendimus. Audacter itaque si de vita Virginis quæras, respondeo in utero sanctificatam, habuisse intelligendi vim, vovisse virginitatem: natam vero Deo perpetuo servivisse, contemplationi deditam et vitæ activæ, semper optima cogitasse, optima locutam, optima egisse, superasse omnes sanctorum virtutes et merita, etc. Hanc enim virtutem et gratiarum omnium eminentiam debere Matri Messie dudum ante Christum natum prævidit rabbi Haccados, quem Judæi magistrum sanctum appellabant. Hic ut tradit Petrus Galatinus, de arca cath. verit. c. IV. dixit: « Sicut abacus est armarium, quod

principes conficiunt, ut auri et argenti vascula in eo recondant, suamque gloriam et opes cunctis ostendant: ita regis Messie Mater erit armarium, quod Deus ipse construxit, ut Messias in ea sedeat, ad majestatis suæ gloriam mortalibus omnibus ministrandam. » Felix ergo es Virgo et omni laude dignissima, etc.

CONCIO V.

OSTENDITUR MARIAM MATREM ESSE JUSTORUM.

I. Quia est Mater Christi. — II. Quia Christus eam matrem istorum sub cruce constituit. — III. Quia ad salutem justorum cooperata multis modis matris officium præstitit.

THEMA.

Nunc ergo filii audite me. Prov. VIII.

Sæpe mecum ipse cogitavi, auditores, quid communi nostro parenti Adamo venerit in mentem, quando accepta mortis sententia, vocavit nomen uxoris suæ *Hevæ*, id est, *vita* seu *vivens*, et quidem ob eam causam, quod esset mater cunctorum viventium; quo enim jure vocatur *Heva* seu *vita*, quo jure dicitur mater viventium, quæ ex Dei sententia potius mater est omnium morientium, ipsaque morti addicta. Unde est nonnemo, qui asserat Adamum hic insaniisse: « Mirabile est, inquit Rupertus, cap. XXVI. l. III. de Trinitate, quod ubi mortis corporeæ sententiam ferebat, ubi uxorem suam *Hevam*, id est, *vitam* appellavit. Quid insanus, quam in illo talis causæ judicio illam nuncupare *Evam*, id est, *vitam*, quæ nec saltem habebat vitam, et dicere matrem cunctorum viventium eam, quæ potius est mater cunctorum morientium? » Alii quidam per amarum jocum et acerbam ironiam hoc dixisse Adamum putant, apud Perer. in Gen. Verum in spiritu alio respexisse videtur Adam, ad veram, inquam, matrem omnium viventium et vere viventium, Mariam, quam adumbravit *Eva*, et uti hæc mater est omnium viventium carnaliter et ærumnose, ita illa mater est omnium viventium spiritualiter et beate. Unde S. Epiphanius hæresi LXXVIII. *Maria*, inquit, *per Evam significatur, quæ per ænigma accepit, ut mater viventium vocetur: et infra: Eva mortis causa facta est hominibus, per ipsam enim mors ingressa est mundum: Maria vero causa vitæ, per quam genita est nobis vita, etc.* Sane multo potiori jure mater viventium vocanda est, quam *Eva*. Hæc enim mortem nobis attulit, dum in patre nostro Adam vocem ejus audivimus et comedimus cum illa:

VI. PARS FESTIVALIS.

quam ob causam contemplantur aliqui, accusant illam etiamnum a parvulis nascentibus, qui *E* vel *A* prima lamentantur voce, juxta versum:

Dicent E vel A, quotquot nascuntur ab Eva.

At vero Virgo Maria vitam nobis attulit veram et æternam. Hæc ergo mater nostra est, hanc nos audiamus, quia ad vitam vocat. Unde in hodierna epistola in persona ejus loquitur Sap. *Nunc ergo filii audite me.* Itaque audiamus. Triplici argumento possumus ostendere Deiparam esse matrem justorum, seu viventium in gratia.

I. Quia est Mater Christi Domini, Christus autem partim pater, partim frater, partim sponsus est justorum: et omnibus his titulis Deipara illorum mater. Pater noster est Christus, quia per ipsum spiritualiter renati sumus in baptismo, ad vitam æternam, et facti adoptivi ejus filii, ad Gal. IV. Unde ab Isaia, cap. IX. prædicatur vocandus: *Pater futuri sæculi*, id est, eorum qui ad futurum sæculum vitæ beatæ pertinent: et Christus ipse, Joan. XIII. vocat discipulos suos *filiolos*.

Jam si Christus pater est, sequitur Christi Matrem, matrem etiam nostram esse, quia quod est causa causæ, est causa etiam causati: sic *Eva* quoad carnalem generationem dicitur mater cunctorum viventium, Genes. III. et *Sara* mater omnium Judæorum: sicut *Abraham* eorumdem pater, Isaia LI. Hinc *Salomon*, Can. VII. ventrem Mariæ deprecans dicit: *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* Quamvis enim venter Mariæ (*virginitatis* voto velut *liliis* vallatus) unum tantum germinarit granum frumenti, quia tamen illud in cruce mortuum plurimum fructum attulit, ideoque de uno grano tritici acervus est factus, completumque illud propheticum: *Et valles abundabunt frumento*, uti advertit S. Ambros. l. de instit. Virg. c. XIII. hinc recte omnino dicitur totius acervi mater, et totus filiorum Christi acervus in utero ejus contentus fuisse. Sic dictum est *Rebecce* geminos in utero gestanti: *Quæ gentes sunt in utero, etc.* quod ex illius geminis duo populi essent nascituri, Gen. XXV.

Frater noster est Christus ob naturæ humanæ consortium. Unde ad Rom. VIII. dicitur *primogenitus in multis fratribus*: et Joan. XX. vocat discipulos fratres suos. Jam vero, si Christus est creditum frater, cur non ipsa, quæ genuit Christum, credentium mater? Ipsa enim tribuendo carnem Christo, fratrem eum nostrum effecit.

Sponsus noster est Christus, qui animas nostras per fidem et charitatem sibi desponsat, id est, unit sibi vinculo dilectionis, et obligat se vicissim illis ad regnum suum assumendis, atque ita mutua traditione, acceptat sponsam et tradit

se sponsæ, fecitque hoc Christus triplici ratione. Primo, in incarnatione, quando carnem nostram sicque Ecclesiam totam sibi copulavit: secundo, in passione, quando sponsam suam sanguine suo lavit et emit: tertio, in pentecoste, quando Spiritum sanctum velut desponsationis arrham Ecclesiæ suæ dedit, in Philo episc. Carpathior. in Cant. c. III. tom. I. biblioth. ss. pp. Jam vero communiter et recte mater sponsi solet vocari etiam mater sponsæ; siquidem sponsus et sponsa sunt quasi una caro: uti et socer pater vocari generi solet.

Videmus ergo quanto jure Deipara vel ex uno capite mater nostra sit. Si enim humano more de hac re loqui vellemus, dicendum esset, Mariam esse aviam, matrem et socrum nostram: aviam ex primo, matrem ex secundo, socrum ex tertio titulo.

II. Quia eam Christus in cruce moriturus speciali legato matrem justorum constituit, quando eam Joannis matrem esse voluit. Joannes autem Christo crucifixo adstantes omnes representavit, tum propter nomen: (*Quia enim, Joannes interpretatur, in quo est gratia*, inquit Sanctus Antonius, IV. p. tit. XV. c. II. *cuiuslibet etiam qui Joannes dicitur et existit, in quo scilicet est gratia gratum faciens, datur Virgo Maria in matrem*) tum quia Joannes apud Christum dilectione fuit præcipuus; denique quia solus ex discipulis, adeoque nomine omnium quodammodo præsens Christo morienti fuit. Nec immerito, Christus voluit tunc Matrem suam matrem etiam esse justorum. Sicut enim ipse nos genuit ad vitam spiritualem in cruce patiendo: ita et Deipara suo modo compatiendo scilicet Filio, uti docet ex Anselmo S. Antonius, l. c. Pretiosissimum hoc legatum præfiguratum esse videtur in pallio Eliæ. Sicut enim olim Elias, IV. Reg. II. in curru igneo, per turbinem evehctus, ascendens in cælum, Elisæo pallium suum reliquit, per quod ipse Elisæus, III. Reg. XIX. a laborioso et humili arandi opera ad salutem et honorificam Eliæ sequelam antea fuerat traductus, et in quo postea admirabilia effecit, cum Jordanis aquas, ut per eas sicco vestigio pertransiret, divisit; ita Christus per turbem passionis in curru crucis flammis charitatis undique flagrante recedens B. Virginem, quæ suum erat pallium, in cujus utero, dum carnem suscepit, veluti pallio circumdatus seu obvolutus fuerat, nobis reliquit, cum scilicet in Joanne nobis etiam eam in matrem tradidit, cujus virtute et precibus tot peccatorum conversiones, tam multa miracula in Ecclesia peraguntur: et aquæ tribulationum presentis vitæ ita dividuntur ac mitigantur, ut per eas tuti transire valeamus. Ac

sicuti Elisæus ob suam perseverantiam, quia indivisibiliter adhæsit semper Eliæ, pallium ejus obtinuit: ita Joannes Deiparam accepit in matrem, quia Christo Domino suo patienti solus ex discipulis inseparabiliter adfuit: atque ita etiam nos nobilissimum hoc Christi pallium, et hanc matrem tum demum obtinebimus, quando cruci Christi sedulo assistemus per crebram mediationem passionis ejus, cum animi gratitudine et charitatis ardore conjunctam, per societatem passionum pro Christi nomine hilari ac prompto animo susceptarum, etc. Sub hoc pallium, auditores, omnes confugiamus, hoc pallio utamur, quia maximi amoris Christi erga nos tessera est, et ad quævis obtinenda potentissima. Sane si Sanctus Antonius gloriabatur pallio illo ex foliis palmæ conserto, quod reliquit illi Sanctus Paulus eremita, ita ut non nisi summis festis eo indutus prodiret, ut scribit S. Hieron. in vita Pauli, quanta cura et reverentia nos asservare pallium istud decet? Quantum gloriari in hoc dono?

III. Quia Deipara ad salutem justorum cooperata est, adeoque matris officium multis modis præstitit. Quemadmodum enim mater filios suos amat et cura materna fovet, vestit, ornat, instruit et defendit ab ira patris: ita et Maria, primo, amat justos, tum quia illorum mater spiritualis, tum quia soror naturalis, tum quia Christus eos amat: secundo, curam illorum gerit, et primo, nutrit justos et portat suis meritis, ita ut sub hac nutrice crescant et adolescant in virtutibus, et brevi evadant in viros probos et perfectos, quales videre est imprimis eos, qui cultui B. Virginis addicti sunt, et in ejus sodalitatibus degunt.

Secundo, vestit virtutum suarum exemplis. Quem enim non movet et accendit ejus singularis castitas et virginitas? *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quem non profundissima ejus humilitas? *Ecce ancilla Domini.* Quem non summa ejus obedientia? *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Quem non mira ejus in loquendo paritas et prudentia? *Fili quid fecisti nobis sic?* Quem non ardens ejus charitas et misericordia? *Vinum non habent.* Quem non admiranda ejus fortitudo et constantia animi, stantis juxta crucem?

Tertio, ornat miraculis aliisque honoribus, quibus creberrimus Ecclesiam totam illustrat et exultat ad confusionem hæresum, S. Alexium, qui profugus a paterna domo annos decem septem transiebat Edessæ in vestibulo templi Deiparæ, tandem evulgavit ejusdem Virginis imago, monens æditum, ut introduceret virum illum Dei; qui dignum esset regno cælorum, ut in ejus vita haberetur.

Quarto, instruit doctrinis apostolorum, quorum

ipsa magistra et doctrix fuit; necnon revelationibus, quas sæpe facit servis suis. Inter alia per miraculum sapientiam contulit Alberto Mag. Udoni Magdeb. episc.

Quinto, defendit ab ira Dei, et impetrat nobis vinum gratiæ et amoris divini, quemadmodum convivis illis nuptialibus impetravit vinum naturale: si enim de hoc sollicita pro amicis fuit; quanto magis de spirituali illo, longe magis necessario? Defendit etiam ab hostibus, tum corporis, tum animæ. Scimus enim innumeros ejus ope servatos ab omni generis periculis. Quantum vero est hoc, quod reliquias S. Cæcilie tutata sit contra Longobardos? Ut eas invenire et asportare, uti cupiebant, non possent? Quod ope Deiparæ factum testata est S. Cæcilia per quamdam revelationem factam Paschali primo pontifici, Baron. anno 821.

Præsertim vero in articulo mortis defendit suos ab hoste maligno.

Jam vero audire mihi videor alloquentem nos Deiparam, verbis illis Sapientis: *Nunc ergo filii audite me.* Et quid nobis loquitur? Si vultis me esse matrem vestram, curate ut sitis filii mei, eritis autem filii mei, justi si fueritis. *Matrem vestram me dicitis, quia Christum genui, qui nobis pater, frater et sponsus est. Bene est; et vos sitis et filii, et fratres; et sponsæ filii mei. Filius meus præcepit filiis suis ut diligerent se invicem, Joan. XIII. Id quod ex ore ejus toties repetiit Joannes: *Filioli diligite alterutrum, quia præceptum Domini est; Filius meus dixit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, Matth. V. Item: *Diligite inimicos vestros, etc. ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est, ib. At vos odio flagrat, vos invicem mordetis et comeditis, persequimini inimicos vestros: Absit a me ut justos vos esse judicem, Job. XXVII.****

Si fratrem agnoscitis Filium meum, ubi mutus amor? Ubi morum similitudo? Ubi parivendi conditio? At vero Filius meus pro vobis animam suam posuit, uti Patri suo reconciliaret; vos illum blasphematis tota die: Filius mitis fuit et humilis corde, quod et vos addiscere voluit; at vos inflati estis superciliosi, feroces: Filius meus esuriit; at vos ebrii estis.

Si sponsum agnoscitis Filium meum, cur fidem ei non servatis? Cur tam facile ab eo disceditis et alteri adhæretis? « Si enim susceperis, o homo, inquit Origenes, hom. XII. in Levit. cap. II. in cubili animæ tuæ adulterum diabolum, meretricata est anima tua cum diabolo: si spiritus iræ, si invidia, si superbiæ, si impudiciæ ingressus fuerit ad animam tuam, et receperis eum et consenseris ei loquenti, et in corde tuo delectatus

fueris his, quæ tibi secundum suam mentem suggerit, meretricatus es cum eo.

Rursum si vultis me esse matrem vestram, curate ut sitis Joannes, id est, tales, in quibus est gratia Dei: sitis Filio meo dilecti, sitis ejus socii etiam in passione.

Denique, si vultis me habere in matrem exhibete vos filios, quemadmodum et Joannes ex illa hora, qua ei in matrem data sum, accepit me in suam et præstitit se filium meum. Itaque ex hac hora accipite me in vestra, ego accipiam vos in mea: accipite me in matrem, ego accipiam vos in filios. Imprimis autem cavete, ne peccata ad dentes, filiatione mea indignos vos reddatis. *Tue mini honorem meum et imprimis filii mei, et ego tuebor vestrum. Sit pactum inter nos, colite dies festos meos, sabbato quoque abstinentiam servate, ad orationem angelicam flexis orate genibus, etc. Monstrate vos esse filios, et ego monstrabo me esse matrem. Non sum ego mater mortuorum, sed viventium in gratia. Quamquam non justorum tantum; sed et peccatorum qui ad bonam frugem recipere se volunt, mater esse volo, uti revelavi ancillæ meæ Birgittæ, revel. lib. IV. c. CXXXVIII. « Ego etiam, inquit, sum mater omnium peccatorum se volentium emendare, et habentium voluntatem in Deum amplius non peccare, et sum voluntaria ipsum peccatorem in meam defensionem accipere: sicut charitativa mater, dum videret filium nudum ab inimicis acutos gladios habentibus sibi occurrentem, nonne tunc ipsa opponeret se periculis viriliter, et filium suum de manibus inimicorum suorum liberaret et eriperet et in sinu suo gaudenter conservaret? Ita facio et faciam ego omnibus peccatoribus misericordiam suam mecum a Filio meo petentibus, sub vera contritione et divina dilectione. »*

CONCIO VI.

QUOMODO MARIA VIRGO SIT SIGNUM MAGNUM.

I. B. Virgo magnum miraculum. — II. Magnum vexillum. — III. Magnus scopus. — IV. Magnum indicium.

THEMA.

Signum magnum apparuit in cælo, mulier amictosole. Apoc. XII.

Cum rex Juda, Achaz a duobus aliis regibus Rasin scilicet rege Syriæ, et Phacee rege Israel gravissima obsidione in Jerusalem cingeretur: misit ad illum Deus prophetam Isaiam, qui Achaz regi polliceretur, fore ut solveretur obsidio: et ir